

et stultitia dici potest? Quid ergo? eos qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus; propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos, miseros esse dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtutem dici potest. Postremo si propter alias res virtus expetitur, melius aliquid esse, quam virtutem, necesse est. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quae et, quum adsunt, perparva sunt; et quam diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. An (id quod turpissimum dictu est) voluptatem? at in ea quidem spernenda et repudianda virtus vel maxime cernitur.

PARADOXON I. «Ὅτι μόνον ἀγαθόν, τὸ καλόν.

Quod honestum sit, id solum bonum esse.»

Cap. I. Vereor, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta haec videatur oratio: dicam tamen, quod sentio; et dicam brevius, quam res tanta dici possit. Numquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi: quippe quum viderem, rebus his circumfluentibus, ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur umquam, nec satiatur cupiditatis sitis; neque solum, ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum, saepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla et commutabilia pecuniae munera, verbo *bona* putaverunt appellanda, quum re ac factis longe aliter iudicavissent. Potestne bonum cuiquam malo esse? Aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant et obsint probis. Quamobrem licet irrideat, si quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio. Neque ego umquam bona perdidisse dicam, si qui pecus, aut supellectilem amiserit: neque non saepe laudabo